

MODUS BAPTIZANDI INFIRMUM.

Servantur hęc omnia à principio, ut priùs, usque ad datum salem : quo dato dicat Sacerdos :

O r e m u s.

Medelam tuam, deprecor Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui subvenis in periculis, qui temperas flagella, dum verberas. Te ergo Domine suppliciter exoramus, ut hunc famulum tuum (N.) eruas ab hac infirmitate, ut non prævaleat inimicus usque ad animæ tentationem; sicut in Job ei terminum pone, ne inimicus de anima ista sine redemptione Baptismatis incipiat triumphare; differ, Domine exitum mortis & spatium vitæ extende, & perducas eum ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde ponat manum super caput baptizandi & dicat symbolum :

Credo in Deum &c. Pater noster &c.

Committatque eum Patrinis &c. omnia ut supra usque ad finem incipiendo.

Nec te lateat Sathana, &c. *ut sup.*

In certo autem vitæ periculo statim omissis aliis ad actum Baptizationis procedatur, & ter vel semel infundat aquam super Caput ejus in modum Crucis, dicens :

Ego te baptizo &c. *ut supra.*

Si in imminente periculo non habeat aquam baptismalem, utatur Sacerdos simplici aqua; si supervixerit, suppleantur ritus omissi.

MO.